



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 1. D. Bernardini de diuitijs ac paupertate parabola.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

## CAPVT XIV.

*Moyſis, Elia, Ioannis Baptiſta, ipſius Chri-  
ſti & Deipara, itemq; Apoſtolorum, ac pre-  
mitiuorum Chriſtianorum paupertas  
voluntaria.*

§. I.

*D. Bernardini de diuitijs ac paupertate pa-  
rabola.*

S. Ber-  
nardin.  
t. 3. tract.  
de 8. Bea-  
titud.  
ſerm. 2.

**A**D commendandam paupertatis  
virtutem, narrat S. Bernardinus  
Senenſis hanc parabolam. Rex  
quidam duas filias habuit, vnā pulcherrimam,  
aliā turpiſſimam. Pulchra appetebatur  
ab omnibus, & honorabatur: turpem ve-  
rò nullus nedum amare, ſed nec videre volebat.  
Hac autem amariffimè flebat in conſpectu re-  
gis. Cui rex: Noli flere, inquit, dilectiſſima  
filia mea: Nam qui in ſponſam duxerit ſora-  
rem tuam, nihil ſecum accipies, niſi pulchri-  
tudinem ſuam: qui verò ſponſam acceperit,  
dabo illi regnum meum. Rex iſte Deus eſt; fi-  
lia ſpecie corporis viſenda, eſt glorioſa ſa-  
culi vita, diuitijs, delicijs, potentiâ, & ma-  
gnificentia plena; quam omnes ambiunt,  
qui in rebus æſtimandis, externū dumtaxat  
ſplea-

splendorem aspiciunt, neque aciem oculorum habent, qua penetrent ad interiora mentis ornamenta. Filia verò altera fronte seuera, genis pallida, labris macilentas, toto vultu horrida, est paupertas, plena fame, plena penurijs, plena despectu: sed *omnis gloria eius filia regis ab intus, in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus.* Tot enim virtutes, tot dotes, tot priuilegia secum trahit, vt nihil possit ei comparari, si rectis oculis aspiciatur. Solatium est enim ei, penuriam pati; opes maximas videt esse in egestate, despici honori sibi ducit: & cum nihil habeat, omnia possidet; denique quisquis eam sibi desponsat, ei à Domino promittitur *regnum calorum.* Hæc dos est paupertatis; cum interim viri diuitiarum, qui aureos montes sibi per somnum pollicentur, nihil præter fugitium splendorem cum diuitijs suis reportent. Et terribile est, quòd non aliqui saltem excipiantur, ait enim Dauid: *Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt OMNES viri diuitiarum in manibus suis.*

Psal. 44.  
14.Matth. 5.  
3.Psal. 73.  
6.

## §. II.

*Moyſis, Elia, aliorumq; Prophetarum sancta paupertas.*

Y 5

Qua